

gitatione comprehensam ; ad eam tamquam ad exemplum aliquod orationem scriptio nemque suam dirigere ; Demosthene autem , aut Cicerone perfectius in dicendo aliquid promere se posse qui profiterentur , sua quidem sententia nimium subire oneris , nimium suis fidere viribus ; quorum etiam jam olim errore ac temeritate factum esse existimabat , ut malos multos scriptores haberemus : nam , cum nonnulli a Cicerone discedere , sive plane esse vellent , cum aliter , atque ille , dicere stuperent , quoniam is perfectus , absolutusque esset ; deterius dicere cogebantur . Haec Bembus cum dicitaret , cumque etiam litteris mandaret , aegre ille quidem , sed multis tandem persuasit , spretos ac repudiatos antea scriptores optimos illos , repeterent : propositosque sibi ad imitandum haberent . (a) quo quidem Bembi labore , quibusque praceptis , quantum eloquentia adaucta sit , cuius facile est noscere ; si ea , quae ante hanc illius disciplinam scripta sunt , cum hujus aetatis scriptoribus conferantur . (b) Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit , jam bonarum artium studiis incensus , jam elob quen-

Florentinus , in *Defensione florentinae linguae* pag. 140. *A tempore nostri* , PRIMO di tutti gli altri , per quanto io ne sappia , è stato il Reverendiss. Bembo ; & assai copiosamente di non Toscano : avvegna che più per forza di precetti latini & greci ; che per bontà di oreccio , per quanto si può giudicare da le sue Profe.

(a) Quo quidem Bembi labore) Favet Bembi laudibus , Casaeque judicio Daniel-Georgius Morhofius in *Polyistor. literar. lib. I. cap. XXIII. n. 38. pag. 367.* Magni faciendus itaque is autor est ob honorificum adeo testimonium Joh. Casae , qui romanae linguae peritissimus fuit , ut hodieque ejus scripta ut ut pauca , magni aestimentur Italis .

(b) Ea obita legatione domum Bembus cum patre rediit) Vertebat tum annus M. CCCC. LXXX. Statim eum pater Joanni-Alexandro Urticio in disciplinam tradidit . Ab hoc latinam linguam Petrus didicit , excitatusque est , ut graecae operam daret ; cuius consilii pater quoque auctor fuerat , optimae filii institutioni intentus . Itaque , post duodecim annorum studium , statuit Messanam in Siciliam proficiisci , ubi eam publice magnoque cum honore clarissimus Constantinus Lascaris , Byzantius , profitebatur . Iis literis , quas eidem Urticio , magistro , Bembus dedit ex Noniano suo IIII. kal. apr. M. CCCC. LXXXXII. cum omnia jam ad iter paraverat , quod in sequente luce suscepturus erat , haec scribit unius adhuc famae testimonio nota : Est in Sicilia Messanae Constantinus Lascaris , vir non modo Graecus , sed etiam Byzantius : quae quidem urbs sola ex universa Graecia retinere probitatem illam Atticam antiqui sermonis , in qua residet adhuc quidem ejus linguae probitas , plane dicitur . Eaque in urbe ludum aperuit , exercuitque multos jam annos , & caste , nec sine dignitate . Is valde omnium hominum sermone laudatur . Scriptus de primis grammaticis elementis librum ad instituendos pueros , qui habetur , & legitur , &c. Hoc de Graecorum grammatica Constantini Lascaris opus , quod toties typis editum est , prima est graeco-latina praelorum fetura : prodiit autem Mediolani in folio anno M. CCCC. LXXX. ad cuius editionis calcem haec habentur : Hoc divinum opus impressum est Mediolani in kalendas octobres . M. CCCC. LXXX. & interpretatum per venerabilem virum utriusque linguae doctissimum ac optimum Johannem Monachum Placentinum : cuius interpretis opera ac studio pariter Mediolani anno in sequente vulgatum est in folio *Psalterium Davidicum* , ab eodem latine versum . Hoc Joannes Monachus Placentinus idem est , aut ego fallor , ac Joannes Craostonus , Placentinus , instituto Carmelita , qui Venetiis in lucem emisit anno M. CCCC. LXXXXVII. Lexicon graecum , cuius , quamquam haud magna cum laude , meminit Epistola de sua typographiae statu Henricus Stephanus . Hic autem de Graecorum arte grammatica Lascaris liber (id liceat obiter innuire , quoniam sermo de illo est) primus omnium ex Aldi senioris typographia prodiit Venetiis . M. CCCC. LXXXXV. octavo martii in 4. Porro typographus lectores allocutus , ideo inquit , se opus illud emittere , ut esset quoddam quasi praeludium summis nostris laboribus , & impensis , tantoque apparatu ad imprimenda graeca volumina omnis generis , &c. Id etiam inferius asserit , nimirum editionem priorem (Mediolanensem scilicet) longe pluribus mendis scatere , cum eam ipse Lascaris emendasset in locis circiter centum & quinquaginta . Subjicit vero deinde , ejusdem exemplum , emendatum manu ipsius Constantini , nobis dedere commendo Petrus Bembus & Angelus Gabriel , Patricii Veneti ad eos nobiles , praestantique ingenio juvenes , qui nuper in insula Sicilia graecas literas ab ipso Lascari didicerunt , & nunc Patavii incumbunt una liberalibus disciplinis .

(a) Itaq.